



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Legia Catholica

Roberti, Johannes

Leodii, 1633

63. Albertus Louaniensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)

Begue; nemo nescit, quàm facile hæc talia, fingantur. assimulentur, adulterentur. Certè si quis iam litteras proferret, quibus probare tenderet, S. Hubertum fuisse Episcopum Tornacensem, non Leodiensem; meritò exploderetur. Simile hîc dixerim. Manet nobis nostra Possessio. Nec tam ignaui sumus, ut ab ea nos pellat fragmentum chartæ, & modicum ceræ, aut pulvis.

Cæterum Radulphus Episcopus, Cruce signatus, cum multis alijs Terram-Sanctam petijt: & inde reuersus obiijt anno salutis 1191.

LXIII. ALBERTVS
LOVANIENSIS.

Legitime à Clero electus, Lothario, per simoniam se ingerenti,

renti, eiusque patrono Imperatori, gnauiter se opponit, & ius suum tuetur. Romam ad Sedem Apostolicam, primum appellatum eò ipse proficiscitur. Confirmatur à Papa eius electio: qui & purpurâ Cardinalitiâ eum ornat. Româ rediens, Mitram à Pontifice allatam, Lobienſi Abbati donat; potestatis insignie. Dehinc Remos profectus, ab illius Ecclesiæ Archiepiscopo Wilhelmo Episcopus consecratus est. Is Wilhelmus inter ipsa Consecrationis solennia, diuino monitu eruditus, Alberto clarè prædicit, Martyrem Christi futurum. Verus fuit vates. Nam audito reuerenter Missæ sacrificio, ab aliquot Alemannis proditoribus, tredecim vulneribus confossus, capite confracto, & disperso cerebro,

bro, innocentem Deo animam
generosus Martyr, sanguine
purpuratam representavit.

Ne de vero Martyrio dubites;
plura miracula Remis ad eius
Sacras Reliquias patrata, fidem
faciunt. Oblata Deo gratissima
hæc Hostia anno 1192.

LXIV. ALBERTVS
DE CVYCK.

Impetratas à Cælestino Pon-
tifice, S. Laurentij Reliquias,
Româ Leodiû gratulabundus
detulit. Huius tempore, blas-
phemus quidam vino æstuans,
ipso Christi Domini Natali
die, Imagini eiusdem Christi
carnes aſtas, veru adhuc hæren-
tes, obtulit, insultans, quòd fo-
lus ieiunus perſisteret, alijs e-
pulantibus. Protinus obuerſum
veru oculum impio ioculatori
exſculpiſit.

D

Illud